



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

6 An præseruet peccatis futuris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

Sed contra est, quod secundum hoc non esset homini alia pena imungenda, sicut nec baptizato imingitur.

Respondeo dicendum, quod hoc sacramentum simul est sacrificium & sacramentum. Sed rationem sacrificij habet, in quantum offertur: rationem autem sacramenti, in quantum sumitur. Et ideo effectum sacramenti habet in eo, qui sumit: effectum autem sacrificij in eo, qui offertur vel in his, pro quibus offertur. Si igitur consideratur ut sacramentum, habet effectum dupliciter. Vno modo, directe ex vi sacramenti: alio modo quia se ex quadam concomitantia, sicut & circa continentiam sacramenti dictum est. Ex vi quidem sacramenti directe habet illum effectum, ad quem est institutum. Non est autem institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum & ad membra eius sicut & nutrimentum vivitur nutritio. Sed quia hec vnitas fit per charitatem, ex cuius fervore aliquis consequitur remissionem non solum culpa, sed etiam pena, inde est, quod ex consequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum homo consequitur remissionem pena, non quidem totius, sed secundum modum sua deuotionis, & seruatoris. In quantum vero est sacrificium habet vim satisfactoriam. Sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis. Vnde Dominus dicit Luc. 21. de vidua, quae obtulit duo ar. quod plus omnibus misit. Quamuis, ergo hec oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pena, tamen sit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem sua deuotionis, & non pro tota pena.

Ad primum ergo dicendum, quod sacramentum baptismi directe ordinatur ad remissionem pena, & culpe, non autem Eucharistia: quia baptismus datur homini, quasi commorienti Christo: Eucharistia autem, quasi nutriendo & persiciendo per Christum: Vnde non est similis ratio.

Ad secundum dicendum, quod alia sacrificia & oblationes non operantur remissionem totius pena, neq. quantum ad quantitatem oblati, sicut hoc sacrificium: neq. quantum ad deuotionem hominis, ex qua contingit: quod etiam hic non tollitur tota pena.

Ad tertium dicendum, quod hoc, quod tollitur pars pena, & non tota pena per hoc sacramentum, non contingit ex defectu virtutis Christi, sed ex defectu deuotionis humanae.

ne non est contra perfectionem charitatis; & ideo non ita directe tollitur per hoc sacramentum, sed solum per quandam concomitantiam, medio actu charitatis, quam in sumente excitat, vt dictum est.

ARTIC. VI.

Vtrum per hoc sacramentum praeferuetur homo a peccatis futuris.

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod per hoc sacramentum non praeferuetur homo a peccatis futuris. Multi enim digne sumentes hoc sacramentum postea in peccatum cadunt. Quod non accideret, si hoc sacramentum praeferuaret a peccatis futuris. Nō ergo effectus huius sacramenti est, a peccatis futuris praeferuare.

2. Præterea, Eucharistia est sacramentum charitatis, vt supra dictum est. Sed charitas nō videtur praeferuare a peccatis, quia semel habita potest amitti per peccatum, vt in secunda parte habitum est. Ergo videtur, quod nec hoc sacramentum praeferuet hominem a peccato.

3. Præterea, Origo peccati in nobis est lex peccati, quae est in membris nostris, vt patet per apost. Rom. 7. Sed mitigatio fomitis, qui est lex peccati non ponitur effectus huius sacramenti, sed magis baptismi. Ergo praeferuare a peccatis futuris, non est effectus huius sacramenti.

Sed contra est, quod Dominus dicit Ioan. 6. Hic est panis de caelo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Quod quidem manifestum est non intelligi de morte corporali. Ergo intelligitur, quod hoc sacramentum praeferuet a morte spirituali, quae est per peccatum.

Respondeo dicendum, quod peccatum est quadam spiritualis mors animae. Vnde hoc modo praeferuatur aliquis a peccato futuro, quo praeferuatur corpus a me morte futura. Quod quidem fit dupliciter. Vno modo, in quantum natura hominis interiorius roboratur contra corruptiuam: & sic praeferuatur a morte per cibum & medicinam. Alio modo per hoc, quod munitur contra exteriores impugnationes, & sic praeferuatur per arma, quibus munitur corpus. Vtroq. autem modo hoc sacramentum praeferuat a peccato. Nam primo quidem per hoc, quod Christo coniungit per gratiam, roborat spiritualem vitam hominis, tanquam spiritualis cibus & spiritualis medicina, secundum illud Ps 103. Panis cor hominis confirmat: & Augustin. dicit super Ioannem. Securus accede, panis est, non venenum. Alio modo, in quantum est quoddam signum passionis Christi, per quam victi sunt demones, repellit omnem demonum impugnationem. Vnde Chrysost. dicit super Ioannem: Vt leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus terribiles effecti diabolo.

Ad primum ergo dicendum, quod effectus huius sacramenti recipitur in homine secundum hominis conditionem, sicut contingit de qualibet causa actiua, quod eius effectus recipitur in materia secundum modum materiae. Homo autem in statu viae est huius conditionis, quod liberum arbitrium eius potest flecti in bonum & malum. Vnde licet hoc sacramentum, quantum est de se, habeat virtutem praeferuatiuam a peccato, non tamen auferit homini possibilitatem peccandi.

Ad secundum dicendum, quod etiam charitas, quantum est in se, praeferuat hominem a peccato secundum illud Rom. 13. Dilectio proximi malum non operatur. Sed ex mutabilitate liberi arbitrii contingit, quod aliquis post habitam charitatem peccat, sicut & post susceptionem huius sacramenti.

Ad tertium dicendum, quod licet hoc sacramentum non directe ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia, in quantum auget charitatem: quia, sicut August. dicit in lib 83. questionum, augmentum charitatis est diminutio cupiditatis. Directe autem confirmat cor hominis in bono: per quod etiam praeferuatur homo a peccato.

COMMENTARIVS.

Summa doctrinae Dni Thomae in hoc articulo est, Eucharistiam, vt sacramentum est, non remittere poenam directe, & ex opere operato, sed solum indirecte & concomitanter; quatenus, excitat actum charitatis, per quem remittitur haec poena, non semper tota, sed iuxta quantitatem & feruorem ipsius charitatis: at vero in quantum sacrificium est: remittit (inquit) poenam offerentibus, vel pro quibus offertur: non tamen semper totam, sed iuxta eorum deuotionem & dispositionem. Quae posterior pars solum est hic aduertenda, & notanda: nam inferius in materia de sacrificio ex professo disputanda est, vbi examinantur etiam, quae hic Caietanus notat. Circa priorem vero partem solum est aduertendum, longe diuerso modo loqui Dnum Thomam hic de hoc effectu remittendi poenam, quam praecedenti articulo fuit de remissione venialis culpa: ubi enim simpliciter docuit, hoc sacramentum remittere venialia peccata directe & ex opere operato: hic autem simpliciter hoc negat: quia fuit media actu hominis communicatis fieri putat huiusmodi remissionem. Ratio autem differentiae reddi potest, & ab ipso etiam Diuo Thoma indicatur; quia quilibet culpa, etiam venialis, repugnat aliquo modo perfectioni amicitiae, & vnionis charitatis: & ideo sacramentum hoc, quod ad hanc vnionem perficiendam institutum est, quamlibet culpam directe & virtute sua destruit: reatus autem temporalis poenae.

Fr. Suarez Tom. 3.

Rrr a Litera

Litera D. Tho. satis clara est, rem autem ipsam postea disputabimus.

ARTIC. VII.

Verum hoc sacramentum profit aliis, quam sumentibus.

Supra q. 79. artic. 3. ad 8. & praesenti q. art. 5 corp. Et 4 d. 12. q. 2. art. 2. q. 2. & 4. q. 2. artic. 3. qu. 1. ad 3. & Rom. c. 1. 6. fi.

Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod hoc sacramentum non profit nisi sumentibus. Hoc enim sacramentum est unius generis cum alijs sacramentis, utpote alijs conditum: sed alia sacramenta non profit nisi sumentibus, sicut effectum baptismi non suscipit, nisi baptizatus. Ergo nec hoc sacramentum prodest alijs nisi sumentibus.

2. Præterea, effectus huius sacramenti est adeptio gratiae, & remissio culpe ad minus venialis. Si ergo hoc sacramentum haberet effectum in alijs, quam in sumentibus, posset contingere, quod aliquis adipseret gratiam, & gloriam, & remissionem culpe, absq. actione & passione propria, alio sumente vel offerente hoc sacramentum.

3. Præterea, multiplicata causa multiplicatur effectus. Si ergo hoc sacramentum prodest alijs, quam sumentibus sequeretur, quod magis prodest alicui, si multi sument hoc sacramentum, multis hostijs in vna Missa consecratis, quod non habet Ecclesia consuetudo, ut scilicet multi communicent pro alicuius salute. Non ergo videtur, quod hoc sacramentum profit, nisi sumentibus.

Sed contra est, quod in celebratione huius sacramenti fit pro multis alijs deprecatio. Quod frustra fieret, nisi hoc sacramentum alijs prodest. Hoc ergo sacramentum non solum sumentibus prodest.

A. 5. huius q.

Respondeo dicendum, quod (sicut prius dictum est) hoc sacramentum non solum est sacramentum, sed etiam est sacrificium. In quantum enim in hoc sacramento representatur passio CHRISTI, qua Christus obtulit se hostiam Deo (ut dicitur Ephes. 5.) habet rationem sacrificij, in quantum vero in hoc sacramento traditur invisibilis gratia sub visibili specie, habet rationem sacramenti. Sic ergo hoc sacramentum, sumentibus quidem prodest, & per modum sacramenti & per modum sacrificij, quia pro omnibus sumentibus offertur. Dicitur enim in Canone Missæ: Quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem sumpserimus; omni benedictione celesti & gratia repleamur. Sed alijs, qui non sument, prodest per modum sacrificij, in quantum pro salute eorum offertur. Vnde & in Canone Missæ dicitur: Memento Domine, famularum, famularumq. tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisq. omnibus, pro redemptione animarum suarum pro spe salutis & incolumitatis sue. Et vtrumq. modum proficiendi Dominus expressit, dicens, Matth. 26 & Luc. 22. Qui pro vobis, scilicet sumentibus, & pro multis, scilicet alijs, effundetur in remissionem peccatorum.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc sacramentum pro alijs habet, quod est sacrificium, & ideo non est similis ratio.

Ad secundum dicendum, quod sicut passio Christi prodest quidem omnibus quantum ad sufficientiam, & ad remissionem culpe, & adeptionem gratiae & gloria, sed effectum non habet, nisi in illis, qui passioni Christi coniunguntur per fidem & charitatem: ita & hoc sacrificium, quod est memoriale Domine passionis, non habet effectum, nisi in illis, qui coniunguntur huic sacramento per fidem & charitatem. Vnde & Augustinus dicit ad Renatum: Quis offerat corpus Christi, nisi pro his, qui sunt membra Christi? Vnde & in Canone Missæ non oratur pro his, qui sunt extra Ecclesiam: illis tamen prodest plus vel minus, secundum modum devotionis eorum.

Ad tertium dicendum, quod sumptio pertinet ad rationem sacramenti: sed oblatio pertinet ad rationem sacrificij.

In li. de anima, & eius origine, cap. 9. rom. 7.

Et ideo ex hoc quod aliquis sumit corpus Christi, vel etiam plures, non accrescit aliq. aliquid inuamentum. Similiter etiam ex hoc, quod sacerdos plures hostias consecrat in vna Missa non multiplicatur effectus huius sacramenti, quia non est visibilis sacrificium. Nihil enim plus est virtutis in multis hostijs consecratis quam in vna, cum sub omnibus, & sub vna non sit, nisi totus Christus. Vnde nec si aliquis simul in vna Missa multas hostias consecrat, sumat, participabit maiorem effectum sacramenti. In pluribus vero Missis multiplicatur sacrificij oblatio. Et ideo multiplicatur effectus sacrificij & sacramenti.

COMMENTARIUS.

Doctrina huius art. maxime spectat ad materiam de sacrificio, & ideo in proprium locum illam remittimus: nam de Eucharistia, quatenus sacramentum est, simpliciter docet D. Thom. solis prodest sumentibus, quod ex opere operato intelligendum est, ut latius in disputatione dicemus: de eadem vero Eucharistia, quatenus sacrificium est, dicit prodest offerentibus, & pro quibus offertur, etiam si non sument, quod solum probat ex vltu Ecclesie: quia etiam pro alijs non sumentibus offertur hoc sacrificium, ut constat ex Canone Missæ, & iuxta hæc explicat illa verba Christi, Luc. 22. Qui pro vobis & pro multis effundetur: de quibus supra disput. 6. satis dictum est. Cætera, quæ D. Thom. docet, tam in corpore articuli, quam in solutionibus argumentorum, valde notanda sunt pro his, quæ infra dicemus de essentia & effectibus huius sacrificij: nam fere omnia ipse innuat, quamuis breuissimis verbis, quæ ibi commo- ditis expendimus; & ponderabimus.

ARTICVLVS VIII.

Verum per veniale peccatum impediatur effectus huius sacramenti.

Ad octauum sic proceditur. Videtur, quod per veniale peccatum non impediatur effectus huius sacramenti. Dicit enim Augustinus, super illud Ioan. 6. Patres vestri manducauerunt manna, & c. Panem celestem spiritaliter manducauerunt, in innocentia ad altare apportate peccata etiam sunt quotidiana, non sint mortifera. Ex quo patet, quod venialia peccata, quæ quotidiana dicuntur spiritaliter manducantem non impediunt. Sed spiritaliter manducantes, effectum huius sacramenti percipiunt. Ergo peccata venialia non impediunt effectum huius sacramenti.

2. Præterea, hoc sacramentum non est minoris virtutis, quam baptismus. Sed effectum baptismi (sicut supra dictum est) impedit sola fictio, ad quam non pertinet peccata venialia: quia sicut ap. 1. dicitur, Spiritus sanctus discipulum effugiet fictum: qui tamen per peccata venialia non fugatur. Ergo neq. effectum huius sacramenti impediunt peccata venialia.

3. Præterea, nihil quod remouetur per actionem altari- us causa, potest impedire eius effectum. Sed peccata venialia tolluntur per hoc sacramentum. Ergo non impediunt eius effectum.

Sed contra est, quod Damasc. dicit in 4. Ignis eius, quod in nobis est desiderij, assumens eam, quæ ex carbone, id est, hoc sacramento est, ignitionem comburet peccata, & illuminabit corda nostra, vi participatione diuini ignis, ignamur, & desicemur. Sed ignis nostri desiderij vel amoris impeditur per peccata venialia, quæ impediunt feruorem charitatis, vi in secunda parte habuit est. Ergo peccata venialia impediunt effectum huius sacramenti.

Respondeo dicendum, quod peccata venialia dupliciter accipi possunt. Vno modo, prout sunt præterita, alio modo, prout sunt actus exercita. Primo quidem modo peccata venialia